

---

## P R A E F A T I O.

APUD medicos plurimūm semper valuit, semperque valebit Celsi auctoritas. In ejus enim opere elucet genuina Hippocratis doctrina, tum eleganti sermone, tum ore facundo dictata. Quod cùm nocturnā diurnāque Asclepiadeā arti studientium manu versetur, de isto fusiūs dicere non liquet. Unum tamen magni foret momenti, si hīc scriptoris vita exararetur; sed quæ nostrum spectant, tantā sunt obvoluta caligine, ut quid certi vix proferri queat. Satius igitur visum est illius historiam prætermittere, quām falsa vel incerta aut parūm tuta enarrare, omnibusve nota ineptè repetere. Viros tamen literatos, quid in hâcce editione adornandâ præstitum sit, paucis edocere consentaneum est.

Numerosissimas inter Celsi editiones, nulla sanè existit, doctorum judicio, quæ omne tulerit punc̄tum. Quot quot sunt qui tali vacaverunt studio, licet erudit̄, sagaces, ingeniosi, quin & medici famā non incelebres, negligentiæ & festinatio-  
nis insimulationem effugere nequiverunt.

a iij

vj P R A E F A T I O.

Dum hæc ita se habent , operæ pretium se esse facturum credere ausus est vir romana-  
narum literarum amans & cultor egregius ,  
si Celsianos libros summâ diligentia le-  
geret atque relegeret ; si exemplaria optimæ  
notæ typis excusa cum manuscriptis  
maximæ fidei codicibus religiosè conferret ;  
si diversas & phrasium & vocum lectiones  
non iniquâ lance perpenderet , ut exinde  
legitimus emergeret auctoris sensus , spu-  
riæ rejicerentur dictiones , & viriosè inter-  
positæ delerentur . Quam arduum sit &  
operosum nemo nescit . Sperat tamen edi-  
tor labore suum literato , & medico præ-  
sertim , orbi acceptum fore .

Celsus omni ævo laudatus , sed pluri-  
mis deturpatus maculis , nunc prodit nitidior . Quæ in ejus libris inscitè translata  
erant , suum jam locum obtinent : quæ de-  
ficiunt nonnulla , veterum incuria libra-  
riorum , ( cùm reponi impossibile esset , )  
saltem indicantur . Periodi malè sæpius in-  
tercisæ , non jam invertunt sensum , dum  
justis gaudent commatibus . Inconsideratè  
secta paragraphi , sectiones , capita , quæ  
legentem fatigabant , in novum sed nati-  
vum ordinem sunt restituta . Hippocratis

verba & hujus in primis aphorismi , quæ  
in latinum frequenter vertit auctor , per  
majusculas à textu distinguuntur. Ad hæc  
accedunt multa in plurimis editionibus de-  
siderata , typographiæ scilicet elegantia ,  
characterum nitor , chartarum delectus ,  
forma commodior , quæ nostram aliis  
longè superiorem vindicant.



